

propriè. Quæ res sub lege, bona corporalia obedientibus ut præmi-
um promittente, piis, quoties cruce & afflictione probarentur, ma-
gnam luctam in conscientis excitavit. Sed quod Bellarminus ad-
dit, inde Salomonem voluisse concludere, quòd justus certò co-
gnoscere non possit, utrum diligatur à deo necne, quia ex benefici-
is, quæ & improbi accipiunt, cognoscere non possit; id falsum est
& præter mentem sacri scriptoris. *universi ante se, h. e. feruntur in sua*
objecta, prout ad ea delati fuerint. v. i. sic ante se usurpatur Jer. 49:5.
Ez. 1:9. & v. 11. ps. 85:14. prov. 4:25. negdécha Germ. ein jeder für sich hin.
Doctisf. Ludov. de Dieu. non norūt homines quicquam eorum, quæ ante i-
psos sunt. Sensus non malus: sed accentus Rebia hic tantam vim non
habet, ut plus distinguat, quàm Athnach. Deinde supplendum sic
fuerit pronomen relativum. In n. nullam rem esse expositam ipsis. Re-
petit negantem. Ab. Ezra. omnia sunt ante ipsos homines, longè scil. an-
tequam nati sunt, decreta.

v. 2.

γγ. Communi sorte omnium, quam

αα. generatim proponit. *Omnia ut o-*

mnibus, hoc est, tam mala, quàm bona, simili ratione & modo, tam
bonis, quàm malis accidunt.

בב. Speciatim exponit

αα. comparatione contrariarum

qualitatum in hominibus, quæ gradatim removet causas disparis
fortis (quarum probabilitas nititur iudicio Dei secundum legem i-
psius, & fœdere cum populo ipsius percusso)

a. innocentiam & contrariam

improbiter. Secundum veteris populi formam loquitur & di-
sciplinam. In eo censebatur, qui juxta literam legis irreprehensè
viveret. Eam justitiam Phariseorum dicit Christus Matth. 5:20.
Qui autem in eam notabili facinore delinqueret, vel ex populo ex-
scindebatur vi comminationis divinæ, vel interficiebatur, vel *ἀπο-*
κωλύω fiebat, vel non nisi pœna corporis, aut multa aut sacrifi-
cio interveniente restituebatur.

b. ecclesiasticam & ceremo-

nialem aptitudinem ad communicandum sacris, vel contrariam in-
eptitudinem. Nam non, qui non moraliter improbus, statim
consors sanctuarii: ut qui ob quodcunque vitium à sacris exclude-
bantur. Qui apti, duum sunt generum, *boni, hoc est, ἀγαθοί, à Deo*
singu-